

VIII.

EUM . DIUTURNIS . PRO . ECCLESIA . LABORIBUS
SCIENTER . STRENUE . SANCTE . QUE . FUNCTUM
MAGNAM . NOMINIS . CELEBRITATEM . INDEPTUM
PER . EUROPAM . ET . AMERICAM
LEO . XIII . PONT . MAX.
AEQUISSIMUS . MERITORUM . JUDEX
INTER . PATRES . CARDINALES
ANNO . MDCCCLXXXVI
OMNI . CANADENSI . POPULO . PLAUDENTE
ADLEGIT.

IX.

HIC . VIR . EXIMIA . IN . DEUM . PIETATE
IN . DEIPARAM . VIRGINEM . CULTU
MORUM . SUAVITATE . MODESTIA . COMITATE . BENEFICENTIA
OMNES . ANIMOS . IN AMOREM . SUI
RAPIT
HUMANAE . LAUDIS . ATQUE . HONORUM . HAUD . CUPIDUS
IUSTUS . ET . PROPOSITI . TENAX
ILLUD . UNUM . SEMPER . SPECTAT
IN . QUE . ID . INGENIUM . ATQUE . OPERAM . CONFERT
UT . FIDEI . INCREMENTUM . FOVEAT
ECCLESIAE . QUE . IURA
NULLI . PARCENS . LABORI
TUEATUR
ET . DILECTISSIMI . SUI . POPULI
NON . MODO . SPIRITUALIA . BONA
SED . TEMPORALEM . ETIAM . UTILITATEM
TOTIS . AD . HAEC . CONGESTIS . VIRIBUS
EXQUIRAT.

QUINTILIUS BENINI.

